



## Universitätsbibliothek Paderborn

### Praxis Episcopalis

In Qva Episcoporum Non Tantvm, Eorumqve Vicariorum munus; sed  
Parochorum etiam & conscientiarum directorium concernentium casuum  
ac dubiorum indies occurrentium Resolvtiones ... quàm brevissimè  
continentur

**Zerola, Tommaso**

**Coloniae Agrippinae, 1680**

Ejecti.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-10447**

fundatores, de jur. patron. Gem. conf. 117  
quod incipit, Jesu Christi, vide in ver:  
jus patronatus, §. 2., circa ultim.

### EDICTA, SEU STATUTA SEU ORDINATIONES.

**E**Dicta, statuta, seu ordinationes, facta ab Episcopo, quando censentur reservata, seu sublata. nam reperiuntur multa censura facta à praelatis à multo tempore, etiam in congregationibus synodalibus, quæ transierunt in vim canonis, & sic perpetua, quæ non observantur?

Respondetur, quòd tunc censentur sublata, quando per non usum probatur contrarius usus, seu consuetudo, vel per revocationem factam à successore, & contrarius usus vel consuetudo, vel revocatio ad tollendas dictas constitutiones, debet probari per volentem, Dec. in c. cum accessissent, col. 9. de constit. Caputaq. decis. 220. 1. par. & quod dictum est de edictis constitutionibus Episcopalibus, idem censendum est de statutis legatorum, & Bullis summorum Pontificum, eorumque poenis, prout dictum est in ver. confessio, & in ver. contractus consensualis. vel per non usum receptum, vel per contrariam consuetudinem, nisi iterum fuerint per successores innovata, & in viridem observantiam reducta, l. de quibus, ff. de legibus, & in c. ista, §. leges, 4. dist. & ibi Dominicus Covar. lib. 2. c. 16. num. 6. ver. 5. var. resol. Sylvest. in ver. alienatio, §. 15. gl. in c. de treug. & pace, & in c. alma mater, 1. par. §. 10. num. 2.

### EJECTI.

**E**Jecti regulares per suos superiores à religione, quid agere debeant? Dico primò, si justè, vel injustè, vide Bul. de regula Sixti V. secundò, se debent presentare coram Episcopo originis, & subdere se illius obedientiæ, & ab eo experere. quid agere debeant. Pan. in c. si de reg. quia sub obedientia Episcopi vivere debent, postquam ejecti sunt, Navar. in c. non dicatis, 11. q. 2. n. 34. tertio, an possint adire alium Episcopum? Respondetur, quòd non, sine facultate Episcopi originarij, quandò, ejecti extra provincias suas adeant Papam, vel si longè ab Urbe, aliquem Episcopum, Navar. loc. cit. quartò, ejecti, seu incorrigibiles, non sunt tuti in conscientia, nisi se emendant, & in viam redeant, quo facto, si ad claustra redeunt non admittantur, tunc tuti sunt in conscientia, Sot. lib. 7. q. 2. art. 1. de just. & ju. Sylv. in ver. religio, 6. §. 12. & hoc pertinet ad Episcopum perquirere, an justè, vel injustè fuerit ejectus, Card. in Clem. 1. §. quia verò, ver. addo quartò, quod nota pro quotidiana practica, nam multi sunt ejecti, etiam culpa sua, & relicto habitu regulari, vivunt clericaliter, & laxiori via, quàm prius, & sic videtur quòd eis suus dolus patrocinetur contra regulam, sextò, ejecti semel justè, non possunt cogi à superioribus ingredi ad religionem, Nav. loc. cit. nu. 26. ver. Addo. septimò, patet ratione, quia jam functi sunt officio suo,

ELEE-